

Johann Fecht Philipp Ludwig Fecht


Compendiaria Articuli De Venerando S. S. Trinitatis Mysterio Ex dicto Psalmi XXXIII. v. 6. Delineatio

Durlaci: Müller, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787861928>

Druck Freier  Zugang





In Tomo hoc XXXVII. sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethica Sancta sui vindic.
5. Jo. Faust prolii. de oratione divina ad Act. XVII, 28.
6. D. Georgij Heberlini fascic. Myrtha. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Hef. Manipulus Theſiu Prachtam Sub B.
Ludgemamo propositarū.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Paganorum in
doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Scheelfuhrer p. th. de Chriſtismo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Perſequentione Venelic.
13. Gabrielis Wedderkopp de Atheismo Sconianoru.
14. Michael Foerſch de Leoum naturalium Origine
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conce.
ment. de B.
16. c. Jo. Fecht de Iudae Controversiarum.
16. a. —. de Trinitate
16. b. —. De Ant. Chriſto
17. —. De Iuratore Sancto
18. —. De Iuramento.
19. —. De Communione Sub utraq

20. D. G. Ficht de Misa.
 21. —. De sacramentis.
 21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.
 22. —. De Celibatu eorundem.
 23. —. De Peccato.
 24. Hoornbeef de Theologia Praxi.
 25. —. Pars posterior.
 26. —. de Tentatione Dei.
 27. —. De Autoritate N. Test.
 28. —. De Pietate.
 29. —. De Devotione.
 30. —. De Meditatione Sacra.
 31 } —. De Studio verbi divini.
 32 } —.
 33. —. De sensu divina gratia.
 34. —. De Fiducia in Deo.
 35. —. De Gaudio Spirituali.
 36. —. De Zelo.
 37. —. De Coniugio.
 38. —. De Ascensione Christi.
 39. —. De gloria Christi coelesti.
 40. —. De Spiritu S.
 41 } —. De Providentia.
 42 } —.

42. } Floornbeek de Predestinationes.

43. }

44. }

44. b. —. De Sabbato.

45. —. De Ministerii acceptiones.

46. —. De Examine Ministrorum.

47. —. De eorum officio.

48. }

49. }

50. —. De Intercessionum Vita.

51. }

52. }

53. —. De Foedere Intercessionum.

54. —. De Mundo.

55. —. Ad Matt. xxiii, 37.

56. —. —. xl, 20. 21.

57. Joh. Cocceji de divinitate Script.

58. } —. de Perfectione Script.

59. }

60. } —. de Foedere gratiae et Vet. ac N. T.

61. }

62. } —. de eo quod Ileg est.

63. }

64. —. De Natu & Humiliatione Christi.

65. Jo. Coarji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Wetstenij. De unione Personali in Christo Forma,
Tunc Efficitur. etc.
68. — Lucia Gercken de Forma Unionis Personali
in Christo.
69. —. De Promissis Dei.
70. —. De Perjurio in Spiritibus.
71. Wetstenij de Praedest. Bonorum et malorum.
72. —. Gius et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

16

In Nomine SS. Triados.
COMPENDIARIA ARTICULI
De
VENERANDO

S. S. TRINITATIS MYSTERIO

Ex dicto Psalms XXXIII. v. 6.

DELINEATIO.

Quam

Auspice TRIUNO,

PRÆSIDE

FRATRE GERMANO,

IOH. FECHTIO,

SS. TH. LIC. SER. PRINC. MARCH.

BAD. CONSILIARIO ECCLESIASTICO, PRO-

VINCIALIUM SYNODORUM PRÆSIDE VICA-

RIO, DIACONO AULICO ET IN GYMNASIO

ILL. Hebr. Lingv. & Metaph.

Profefs. Ordin.

In solenni congressu ad ventilandum.

proponit

AUCTOR

PHILIPPUS LUDOVICUS Fecht/

Sultzburgo-Brisgoius.

ad d. 21. April. s. i. nem.

DVRLACI

Characteribus Henningi Mülleri.

M. DC. LXIX.

42
43
20
10
18
6
30
2



V I R O.

MAGNIFICO. NOBILISSIMO. ET. AMPLIS-
SIMO. DOMINO.

MARTINO. KÜFFERO.

I C T O.

SERENISSIMO. PRINCIPI.

D O M I N O.

FRIDERICO.

MARCHIONI, BADENSI. ET. HACHBERGENSI.

Et. Et. Et.


A. CONSILII. SECRETIORIBUS. ET. AULICIS.

DOMINO. ET. PATRONO. SVO.

REVERENTER. SYSPICIENDO.

Observantissimum animum hoc qua-
licunque Scripto Theologico
testari voluit.

PHILIPPUS. LUDOVICUS SECHZ.



COMPENDIARIA ARTICULI

DE

SS: TRINITATE

ex

PSALMO XXXIII. 6.

DELINEATIO.

§. I.

GRavissimum pariter atque verendum de SS: Trinitatis mysterio articulum ex antiqui fœderis haud ignobili testimonio ad colloqui publici materiam proposituris, necesse est ante omnia Sacri Auctoris verba suamet lingua audiri, quæ Psalm. XXXIII. 6. sunt isthæc :

ברבר יהוה שמים נעשו וכרוח פיו כל צבאם.

Quæ Vulgatus ita reddidit:

Verbo Domini cœli firmati sunt & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Junius autem & Tremellius :

Verbo Jehovæ cœli facti sunt & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum.

Lutherus noster :

Der Himmel ist durchs Wort des HErrn gemacht und all ein Heer durch den Geist seines Mundes.

§. II. Ad verum autem vocum in præsentia sensum & feliciorum exinde articuli nostri demonstrationem opus esse, ut omnia singulaque propositi nobis dicti verba expendamus, ex se facile intelligitur.

A

§. 111

Handwritten numbers on the right edge of the page, likely from a library inventory or index. The numbers are: 23, 4, 73, 20, 14, 18, 6, 30, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100.

§ III. Est autem primum eorum כָּבַר in vocabulo כָּבַר quod in generali quodvis animi orisque verbum, i. e. manifestatum ad extra mentis conceptum significare, ipsomet usu comprobatur. Negari enim non potest, sapissime notare verbum mandati atq; præcepti, ut cum dicitur Ier. I. v. 4. *Factum est כָּבַר יְהוָה verbum Domini ad me*; aut promissionis, velut Exod. XV. 1. *Postquam hæc gesta sunt, factum est כָּבַר יְהוָה verbum Domini ad Abraham: ne timeas, ego clypeus sum tibi, merces tua est ampla valde.* Imo quamlibet voluntatis expressionem, quacunque illa ratione aut qua in materia fiat; quo pertinet interpretatio Rabbi Davidis Kimchii, quamvis huic loco non adeo consentanea: *Verbo Domini*, inquit, *illo scil. quo dicitur, & dixit DEUS (Gen. I. 3. 6.) in opere creationis. Estque idem, quod velle & placere.* Id solummodo dubium est, utrum substantiale quoque verbum seu, ut græco vocabulo compellant, hypostaticum, ex usu sive linguæ sive S. Literarum notare queat. Remque Christianis extra omne dubium ponit auctoritas Canonica N. T. apud Johannem Evangelistam c. I. v. 1. Ubi in verbis: *In principio erat verbum & verbum erat apud DEUM & DEUS erat verbum, hoc verbum erat in principio apud DEUM, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil, quod factum est;* ἁ λόγος iis cum conditionibus & attributis describitur, quæ in propria acceptione, à qua non nisi irrefragabilibus causis depelli nos oportet, non nisi supposito conveniunt: Judæos vero frequentissima vocis מִשְׁכָּבֵר verbi de Messia ipsorummet consensu acceptæ usurpatio, iis in locis, quæ passim à Theologis adducuntur, facile convincit. Quid? quod dum præsentis loco verbum de voluntate DEI exponunt, non possint non de persona divina interpretari, cum voluntas DEI à Deo realiter non differat, veluti inter Judæos cordati nequaquam dissententur.

§ IV. Vox יְהוָה nomen est soli Deo proprium. Quod tametsi neque Judæorum omnes neque Christianorum in universum concedunt, in nostro tamen dicto de solo DEO accipi extra controversiam positum est; de eo enim sermo est, qui est cæli & terræ

terra creator; is vero cum non possit non esse infinita virtutis, nomen illud, quod DEO hic tribuitur, nulli rei præter DEum absolute & seorsim convenire potest.

§. V. Per hoc verbum Jehovah facti esse dicuntur cœli & omnis exercitus eorum. Vulgatus, dum וַיִּשְׁׁרָא per firmati sunt reddidit, speciem tantum ejus significationis exprimit, quam generalissimam vocabulum וַיִּשְׁׁרָא complectitur. Est enim Vulgato, ut existimo, firmare h.l. idem ac fundare, q.d. fundati sunt cœli. Cum vero frustra ab universali significato, quod non foundationem tantum cœlorum, sed exornationem etiam & conservationem in se comprehendit, discedatur, rectius à Luthero translata vocem dicimus: *sie seind durchs Wort des Herren gemacht*. Nihil enim quicquam aliud præterquam id indigitatur, quod Moses enunciat: *Ista sunt generationes cœli & terra, quando creata sunt, quæ die Jehovah DEus fecit cœlum & terram*, Gen. II. 4.

§. VI. Iis, quæ sequuntur vocabulis $\text{שָׁמַיִם וְכָל צְבָאוֹת}$, secundum literam quidem cœlum & omnis exercitus eorum præsentatur, recte tamen, monente Rabbi Davide Kimchio, per צְבָאוֹת exercitus, non stellæ duntaxat cœlestes, sed quicquid rerum sub cœlo continetur, in quorum numero & terra est & quæ sunt in terra, intelligitur. Et ratio in textu manifesta est; non enim de peculiari cujusquam operis creatione Regius agit Propheta, sed à DEO res omnes, ne minima quidem excepta, quæ per figuram quandam Rhetoricam cœli & exercitus cœlorum nomine complectitur, enunciat, ut est in confesso.

§. VII. Superfunt vocula וּבְרוּחַ פִּי , Spiritu oris ejus; de quibus idem judicandum esse, quod de voce, *verba Domini*, ex sese patet. Notat enim in Sacris Spiritus DEI, vel Spiritus oris DEI, essentialem ejus virtutem, qua omnia penetrat & omnia potest, sicut ex quorundam sententia Psalmo CXXXIX. v. 7. *quo ibo à Spiritu tuo*, vis DEI omniprensens & omnia pervadens indigitatur. Et loca alias passim obvia sunt. Personam vero Divinitatis peculiarem eadem voce denotari, nemo Christianorum inficiari potest, in-

primis qui contulerit loca A. & II. v. 17. cum Joel: II. v. 28. Quamquam vero Judæi & qui ipsis hac in parte suppetias ferunt, Sociniani, hoc ipsum pertinaciter negent, facile tamen convincuntur, personam quandoque potius quam virtutem hac voce significari, si Spiritum, de quo subinde quæstio est, realiter a DEo Patre differre, fuerit demonstratum; cuius rei probationem infra suscipiemus. Certe per illos nequaquam hic aliquid creati indigitatur, sed attributum pariter divinum, ceu eleganter, suæ serviens hypothefi, Rabbi David Kimchi vocabulum רַבֵּן per voluntatem DEI, qua cupiit, ut res omnes existerent, vocem verò רַחֵם per misericordiam seu potius gratiam DEI, qua easdem res bonas atque perfectas esse voluit, interpretatur.

§. VIII. Jam vero cum constet, quid usurpata à Sacro Auctore vocabula in præsentis testimonio significare possint, discutendum restat, quid per verborum connexionem & reliquarum Scripturarum analogiam reapse significant? Et de cæteris quidem his nulla est, præterquam de vocibus רַבֵּן & רַחֵם, *verbi & Spiritus*, quas, ut vidimus, Judæi de essentialibus in DEo proprietatibus accipiunt, Christiani vero de distinctis à Patre creante personis, et si eorum nonnulli inveteratam sententiam contra pertinacem adversarium, Judæus ille sit an Socinianus, in victis argumentis doceri non posse arbitrentur.

§. IX. Quæri autem tripliciter potest. Primum, an personale significatum ex sola terminorum in præsentis dicto comparatione innotescat? Deinde, an collatis cum aliis N. T. testimoniis? Denique, an adscitis in subsidium Novi Fœderis dictis? Porro, utrum argumenta ex singulis locis de prompta fide tantummodo probabilem generent, an potius apodicticam atque demonstrativam? Quanquam vero singulis vis probandi, ut deinde apparebit, recte adscribatur, ea tamen major sine dubio est, saltem ad convincendos adversarios, in locis posterioribus, quam in priori. Et in re ipsa parum refert, cum ii, adversus quos disputamus, & Judæum, qui V. T. auctoritatem agnoscit, & Socinianum, qui N. T. convinci posse, inficientur.

§. X

§. X. Nequaquam frustraneum est argumentum, quod ex vi propria verborum **וַיִּבְרָא** & **וַיִּהְיֶה** desumptum personalem eorundem existentiam fundat. Cum enim in quolibet dicto verba singula proprio sensu nisi reliqua reclamet Scriptura, aut contradictio manifesta obstet, accipienda esse dubium nullum fit, (cui regulæ pleraque fidei nostræ mysteria innituntur) præsentia quoque vocabula eadem accipi proprietate, necessum erit. Jam vero omne verbum proprie dictam ab eo ortum atque originem suam habet, à quo procedit, sive qui illud loquitur, adeoque loquens naturæ ordine prior est verbo, quod loquitur. Præterea, quanquam verbum à loquente separatum non sit, distinctum tamen quid est realiter à loquente; cumque proprietates à DEO, Ente summe simplicissimo, distingui realiter non possit & tamen in DEO creante & apud DEUM createm nihil possit esse nisi DEUS, necessario à creante distinguetur, ut persona à persona; quippe qua distinctione divinæ essentia simplicitas nequaquam lædatur. Verbum vero **וַיִּהְיֶה**, sive *Spiritus oris*, eadem proprietate acceptæ originem non ex loquente duntaxat, sed ex verbo quoque trahit & cum Spiritus oris à loquente verboque ejus moveatur & emittatur, ab utroque realiter distinctus erit. Non enim idem est movens & motus, emittens & emissus, procedens & à quo procedit, neque etiam in Deo alia, nisi personarum, oppositio realis locum habere potest, quia sola simplicitas em essentia divinæ non destruit, sicut supra diximus. Meretur autem ad vim hujus argumenti legi doctissima commentatio Præceptoris mei D. Sebastiani Schmidii, Disp. Inaug. ad Gen. I. v. 3.

§. XI. Vehementius adstringitur hoc argumentum, ubi, ad quæ digitum intendit Regius auctor, vel quæ præsentem locum illustrant, V. T. testimonia conferantur. Retrospicit autem omnium, etiam ipsorummet Judæorum, consensu, David ad historiam creationis Gen. I. v. 1. seqq. & ad hanc pariter atque Davidem Salomo Prov. VIII. v. 22. Ubi & verbum quoddam DEI exprimitur apud DEUM, priusquam quicquam crearetur; existens & per quod tamen omnia singulaque facta esse dicuntur & Spiritus quidam aquis
prima

25
4
43
20
10
18
30
9
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25

prima die creatis, h. e. indigesta & primigeniæ molis incubans, eandemque ad majorem perfectionem veluti fovens atque disponens; quæ omnia singulaque prædicata non nisi personalia esse quivis facile deprehendit. Hic vero sapientia quædam proponitur ab æterno à DEo possessa, adeoque eadem cum Deo & tamen apud Deum & coram DEo existens, adeoque realiter à possidente distincta & denique nutritia rerum, ut ex Hebræo sonat, sive cunctas res componens, veluti quidam architectus, ut cum Vulgata Lutherus, adeoque non virtus DEi quædam, sed potius persona.

§. XII. Quanquam vero hæc singula ab hostibus veritatis, productis in subsidium malæ causæ, ubi verbum atque spiritus de meritis virtutibus ab agente non distinctis enunciatur, testimoniis, eludantur, nobis tamen, qui alibi, urgente textus consideratione, isthanc acceptionem facile admittimus, his locis litera sacrosancta est, à qua, quia, sicut alibi, rationes discedendi irrefragabiles non habemus, sine grandi quoque religione non discedimus.

§. XIII. Denique rem omnem extra dubitationis aleam ponit N. T. auctoritas, ubi Johannes c. I. v. 1. seqq. verbum dicto nostro insinuatum illustri commentatione: *in principio erat sermo & sermo ille erat apud Deum, eratque ille sermo DEus, hic erat in principio apud DEum, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil, quod factum est; & in eo vita erat & vita erat lux hominum. Et sermo caro factus est & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus, sicut gloriam unigeniti à Patre, qui plenus est gratia & veritatis*: verbis realem à Patre distinctionem innuentibus tam clare describit, ut nec effugere vim veritatis ipsimet possint Sociniani. Quos frustraneum est in vocibus: *apud DEum, per ipsum facta sunt*, & similibus, tritari, cum nec quidquam esse apud DEum in principio possit, nisi ipse, nec per quemquam creare, nisi per semet ipsum, ut aliunde constat. Porro Spiritus oris Domini de persona a Patre simul atque Filio procedente & ab utroque ad illuminandos homines, quæ proprietas personalis est, missa, pariterque realiter distincta, divinos N. T. auctores passim interpretari, ex locis constat, II. Thes. II. v. 8. Gal. IV. v. 9. Joh. XIV. v. 16. & 26. de quibus prolixè agere nostri non est instituti.

§. XIV.

§. XIII. Cæterum ex summaria hujus loci interpretatione sequentia, in quibus articulus de SS. Trinitate vertitur, consecratur emergunt Primo: Esse unicam duntaxat in divinitate essentiam, quantumlibet sub triplici personarum *ὑποστάσει* consistentem, quam intima atque ineffabilis personarum inter sese *περιχώρησις* consequatur. Neque enim vel plures esse IEHOVAH possunt, cum vox isthæc & ex vi divinæ impositionis Ens independens atque à sese existens, quod multiplicari simpliciter implicat, significet, Exod. III. v. 14. & ex perpetuo S. Literarum usu non nisi uni rei absolute indivisibili tribuatur; vel plures sub distinctis potentiis atque virtutibus creatores. Quo sensu rectè *Iustinus Martyr*, libro adversus Marcionem, recensente, ex Irenæo, *Eusebio IV. Hist. Eccles. c. XVIII. neque ipsi Domino, inquit, crederem, si alium Deum præter opificem annunciasset.* Iam vero IEHOVAH idemq; Creator à Davide celebratur: *Verbo, ait, Domini cæli creati sunt.* In rebus equidem creatis diversas obtinent essentias, is qui loquitur verbumque, per quod loquitur, & Spiritus, qui ex verbo procedit, in DEO non item. Ibi enim realis variarum rerum in composito diversitas rem a deo non destruit, ut etiam perficiat; hic vero, in Ente simplicissimo & à sese existente, a deo non perficit ut destruat.

§. XIV. SECUNDO: Esse in una essentia tres realiter à se distinctas personas. Si enim & verbum à persona creante & spiritus oris Domini à persona creante atque verbo realiter differunt & tamen verbum atque Spiritus oris DEI veri nominis personæ sunt, tum consequitur, & tres esse in divinitate personas & easdem personas à sese realiter distingui; at vero in analysi textus demonstratum fuit antecedens, igitur & consequens admitti necesse est. Quamquam vero ex nuda trium personarum recensione nondum consequatur ternarius numerus exclusive acceptus, cum alibi duæ tantum, quædam Spiritus S. libertate, nominentur, tamen sufficit aliis scripturæ locis pluribus divinam essentiam non attribui, quam præsentis loco nominantur, sed potius ternarium numerum confirmari, velut apud IOHANNEM, *tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo. I. Epist. c. V. v. 7.*

B

§. XV.

Handwritten notes on the right margin, including numbers 4, 43, 20, 10, 18, 30, and other markings on small paper scraps.

§. XV. TERTIO : Mysterium hoc V. T. fidelibus & propositum fuisse & ab iis creditum. Patet prius, quoniam per haec tenus dicta à DEO fuit revelatum; & posterius, quia, quicquid revelatum est eum in finem, ut credatur, revelatum est. JOH: XX. v. 31. II. Tim. III. v. 16. Quo tamen neque illustriorem proponendi in N. T. modum, neque mysterii ipsius magis evolutam explicatamque, ut ita loquar, fidem ullatenus negamus. Constat in primis, in compellendis praecipue personis, magna fuisse usus libertate V. T. cives, qui secundam personam aliquando Filii, aliquando verbi, mox sapientiae atque Angeli, aut simili nomine insigniunt. Tertiam vero personam & Spiritum & Spiritum DEI & Spiritum S. appellant.

§. XVI. QUARTO : Esse quasdam in DEO proprietates, per quas personae ab invicem ad intra distinguuntur. Patrem, ut presse dicto nostro inhareamus, refert locutio activa hypostatica, quae alibi locorum generatio dicitur, Filium locutio sive generatio passiva, Spiritum vero S. spiratio passiva. Dum enim Verbum vocatur Verbum Domini & Spiritus Spiritus oris Domini, necesse est, Verbum prima quadam processione à Domino originem suam trahere, Spiritum à Domino per Verbum processione quadam secunda. Actus autem ille in Deo Patre simplicissimus, qui originem praebet illis processionibus, non potest, nisi, respectu secundae personae, generationis voce indigitari, & respectu tertiae, quae ipsi cum secunda persona communis est, spirationis. Ex quo per se consequitur, verbi characterem personalem esse processionem primam, h. e. generationem, Spiritus autem processionem secundam, h. e. spirationem, utramque tamen passivam. In re gravissima atque perdifficili al lego verba Doctoris mei, B. Dannhauseri Hodos: Phoen. III. p. 135. *Possit fortassis differentia ergo generatio dici productio prima ac multiplicativa ad producentis imaginem. Spiratio productio ultimata, non multiplicativa ad producentis similitudinem; nusquam enim legas, Spiritum S. vocari imaginem Patris & Filii, soli Filio hoc nomen competere.*

§. XVII. QUINTO: Easdem proprietates in operibus quoque ad extra conspici atque relucere. Qualis enim modus est

est subsistendi rei alicujus, talis & operandi esse deprehenditur. Jam vero per ea, quæ paragrapho superiori dicta sunt, modus subsistendi inter personas divinas distinctus est, ut nim. Pater subsistat à se, Filius à Patre, Spiritus S. ab utroque; sequitur E. & distinctum esse operandi modum. Creat, secundum Davidem, Pater à se per Verbum (non enim *PER* Hebræi aliter, nisi per *ו*, enunciant) in Spiritu oris ejus; creat Verbum à Patre in Spiritu oris Domini, creat Spiritus oris Domini à Patre & Verbo. Quare character Patris externus sive in externo opere relucens est, agere à se per Filium in Spiritu S. Filii, agere à Patre in Spiritu S., Spiritus S. agere ab utroque. Neque vero hæc rationis deliria sunt, sed emphatica Scripturæ loquendi consuetudine nituntur. Sic IEHOVAH h. e. Filius, *pluit à IEHOVAH h. e. Patre. Gen. XIX. v. 24. Et non potest Filius à semet ipso quicquam facere, IOH. V. v. 30. neque loquitur Spiritus S. à semet ipso JOH. XVI. v. 13. sed docet missus à Patre & Filio, JOH. XIV. v. 26.* Quæ atque similia loca non operationem tantum ad extra exprimunt, ut loqui, facere, docere, sed internum personarum ordinem, quo neque Filius neque Spiritus S. à semet ipso est, clarissima sententia involvunt. Complectitur autem singularum personarum distinctum operandi modum distinctis particulis *διὰ τὴν αἰτίαν* Paulus Rom. XI. v. 36. *Ex ipso, Per ipsum, In ipso sunt omnia.* Qui tamen distinctus operandi modus nequaquam infert aut diversi generis operationem, ut à Patre dicantur esse res omnes ut à causa principali, à Filio & Spiritu S. ut instrumentis; aut operationis ipsius ad extra, quoad substantiam suam, diversitatem. Nam *quæcumque Filius viderit Patrem facientem, Idem & hæc & equali modo ipsemet facit, JOH. V. v. 19* Cui consonat regula antiqua: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen personarum ordine atque discrimine.

§. XVIII. SEXTO: Ordinem inter personas divinas non esse arbitrarium, sed naturalem. Natura enim prior est loquens Verbo & verbum Spiritu, quia verbum ex loquente & Spiritus ab utroque originem suam ducit. Igitur prima persona est Pater, se-

eunda Filius , tertia Spiritus S. Neque obstat, quod alibi mutato ordine recenseantur , veluti cum Patri præponitur Filius , II. Cor XIII. v. 13. & Filio Spiritus S. Tit III. v. 6. In illa enim permutatione non personarum distinctio & ex eadem resultans ordo , sed eandem *ὁμοσιαι* f. æqualis essentia respicitur, quæ, quia una tantum indivisum est, ordinem nullum admittit.

§. XIX. SEPTIMO: Esse singularum personarum quoddam peculiariter ipsis attributum officium. DEo enim Patri independens rerum omnium productio adscribitur , hoc ipso, quod ab eo ab intra reliquæ divinitatis personæ progrediuntur & ad extra per Filium in Spiritu S. res omnes creantur. Filio vero sermo, sive manifestatio paterni conceptus, quæ Evægeliirevelationem & universam mundi redemptionem continet, attribuitur. Spiritui denique sancto quædam spiratio s. inspiratio rerum omnium, qua v. c. res noviter creatas aquis incubando fovit, Gen. I. v. 2. Et Prophetis aliisque DEi viris sacras cogitationes verbaque indidit, II. Sam. XXII. v. 2 assignatur. Referuntur equidem hæc talia ab antiquis pariter modernisque Theologis ad characteres personarum externos, sed difficile dictu est, qua ratione aut quam ob causam? Alii appropriationem vocant, cujus fundamentum non aliud, nisi S. Literarum usum, quæ frequentius creationem Patri, redemptionem Filio, sanctificationem Spiritui S. attribuunt, quærunt, in qua & nos, ne compendii limites excedamus, acquiescimus.

XX. Denique OCTAVO Personarum SS. Trinitatis cognitionem tendere ad praxin cultus divini in iisd personis. Id enim sine dubio causæ est, cur David, Ps. XXXIII. titulum laudis & gloriæ divinæ præponens, inter causas ad eandem allicientes creationem recenseat unius DEi in tribus personis existentis , ne DEum, gentilium more, velut unum persona, colamus , qui triplici potius velit coli sub *ὁπὸς ἄσθε*. Neque enim aliter colendus est DEus, nisi sicut ipse semet revelavit. Fugiamus igitur non impietatem duntaxat, qua plures Deos, sed & infidelitatem, qua unam personam, vel veneremur ipsi, vel sanctissimos DEi filios coluisse credamus , dicamusque cum veteri Ecclesia : GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITUI SANCTO, NUNC ET IN SECU-
LA SECLORUM AMEN.


* * *

*Cum prona adspiciant animalia cœtera terram,
Affixa & terra terrea semper ament:
Non quærenda tibi est, homo, vel damnosa voluptas,
Vel Veneris debes castra nefanda sequi.
Sed potius meritos Patri te reddere honores
Æterno, hunc lauro concelebrare decet.
Scilicet ut vultus oculosq; ad sidera tollas,
Te spectare oculis sidera posse dedit.*

ex amore fraterno

f.

Hujus exercitii PRÆSES.



ET Pater, & Proles, cœli & spirabile Numen

Que Trias hæc consors atque coeva sibi?

Hæc Tuã disquiris mysteria pagina FECHTI;

summus in explicita religionis apex!

Et Pater & Frater, Duce quo pugnabitur, ausis


Magnus ut in sacris rebus uterque, favent.

doctissimo DNO. Autori & Respondenti

testandi amoris gratia Imque

scribebat

J. G. A. G. D. R.



SCilicet est eadem veteri sub fœdere Patrum

Quæ quoque nos homines jam beat, alma fides.

Quam nostra ex Cathedra quoniam defendis, AMICE,

Sacros profectus ingeniumque probas.

Venerabili & doctissimo Dno. Fecho S. S.

Ministerij candidato digniss. de præ-

senti studiorum suorum specimine

l. m. q. gratulatur,

JOH. SPECHT. Ecclesiast. | Aul. Vic. &

illustr. Gymn. SS. Th. P. P.

Præ-

* * * * *

Præcellenti Domino Respondenti.

Quod Pugil hic pugne sacram mediteris arenam,
Quid miror? Mecum non Argentina negabit,
Pectore quo præsens luctando Victor abibas,
Telaque frangebas, cogebas vertere terga
Hostes. Es justè Præses certare peritus,
Quem fratrem redamas fraterno frater amore,
Addis fervorem. Præcunte hoc sedulus in istas,
Pugnam, mi Fechti, pugnas pro Numine Iuno,
Præmia det pugna felici digna Triunus.

gratul. fecit

Matthæus Fibichius Gr. Ling. & Poës.
Prof. Prima Class. Præc.

•••••

Addere TE FECHTI studiis nocturna diurnis
Tempora, nos docet hic magnus abundè labor.
Hactenus assiduus pugnaisti miles in armis.
Palladis hinc meritò nomen & omen habes.
Sed quid? an huic fini posito, qui proximus, ultra,
Currere nolueris, læta corona datur?
Non: sed sæpè suo rediit qui victor ab hoste.
Et bene qui pugnat, laurea ferta capit.
Hostes ergo tuos prosternas, jugiter olim
Tu qui FRATRE cupis non minor esse Tuo.
Gratulor, atq; tuis DEVS adsit numine cæptis,
Hæc Tua quem TRINVM pagina docta probat.

His paucis Præcell. & Clariss. Dno. Aut. &
Resp. Fautori ac amico suo honorat. af-
fectum & amorem sincerum de-
clarare voluit.

IOH. FRIDERICVS IATSIVS.
Durlaco-March.

Non.

45
4
43
20
1
18
6
30
9
11
14

* *

* * * * *

Non sane immerito Tibi nominis extat origo
 A pugnâ, FECHTI, portio magna mei,
 Est etenim Tibi summus amor, fervensque cupido,
 Hostibus assidue bella movere tuis,
 Illa, quibus nomen defendis Numini almi,
 Et quæ vincenti magna brabeja ferunt,
 Quale est hoc iterum, quod nunc sub Præside Fratre
 Adversus Triados tela maligna capis.
 Ajens; una Trium est Deitâs, Patris omnipotentis,
 Proli & aquevæ, Flaminis atque Sacri.
 Gratulor hisce Tuis studiis, det sidera fausta
 Ter veneranda Trias, Terque colenda Monas.

Sic præcellenti ac doctissimo Dno. Authori
 ac Resp. Fautori & Amico suo hõ-
 norando accinit

Johannes Morstatt
 Lahrensis.


* * * * *


Dum Trinitatis maximum mysterium
 Davidico dicto probas,
 Contraria & docentium deliria,
 Firmâ redarguis thesei,
 Sublime nos exinde novimus satis
 Acumen ingeni Tui.
 En gratulor, sit cœptus hic felix labos!
 Sic te sequetur olim honos.


Hac pauca ex petitione Præcell. atq̃ Erudi-
 tissimi Dni. Aut. & Resp. Fautoris
 & amici sui honoratissimi de maxi-
 mis in Theol. profectibus adponere
 debuis & voluit


JOH. PHILIPPUS Schuster/
 Durlaco-March.


F I N I S.

















at proin rectè tùm in pyxide vel cibario affer-
gestetur, tùm ad ægrotos & moribundos,
viaticum, deferatur? N. contra Pontific.
ani, vel hostiæ consecratæ, cultus divinus &
Templis, tùm in publicis privatisque pro-
bendus sit? N. contra Pontificios.

XV.
VOCATIONE INTERNA,
ET FIDE.

Evangelii manifestatio homini sufficiat ad sa- De *Deo* & *Dei*.
rum illius intelligentiam, adeoque & conver. & *Nomine*.
requiratur insuper Vocatio interna, & actio
subjectiva? N. prius: A. poster. contra Socin.
Gratiam Evangelii, ejusque efficaciam, alia
catio interna ad Christum, per lumen natu-
raginis Dei scintillas, quæ proin rectè Gratia
ar? N. contra Pontif. & Remonstrantes.
na Vocatio efficax & salutaris dicatur tantùm
ualiter; an verò etiam à priori, ratione volun-
vini, & naturæ ipsius Vocationis? N. prius:
tra Remonstr. & Lutheranos.
tio ad fidem efficax per Evangelium, fluat ex De *Deo* & *Dei*.
rem, ejusque fructus sit? A. contra Remonstr. *Effic.*
usa, cur uni præ altero Gratia ista contingit,
noxia, facientis de suo quod vult, juxta decre-
eternæ; an verò causa detur à parte hominis,
s præ altero se ex propriis viribus meliùs dis-
ine naturæ digniùs usus fuerit, vel similis
N. poster. contra Pontific. & Remonstr.
atio hæc sit effectus meriti Christi, ei que, tan-
meritoria, accepta ferenda? A. contra Re-
mini, uti primo Vocationis momento Deo